Humanæ Doctrinæ Usus & Commendatio.

CONCIO
AD
CLERUM
Habita in
Templo Beatæ *MARIÆ*
CANTABRIGIÆ.
24to Die *Julii*, 1719.

AUTORE
PAWLET St. JOHN, S.T.P.

LONDINI:
Impensis GUL. & JOH. INNYS, in Areâ Occidentali D. Pauli MDCCXX.

CONCIO

AD

CLERUM

Habita in

Templo Beatæ MARIÆ

CANTABRIGIÆ

BRITISH MUSEUM

AUTORE

DAVIDE ST. JOHN, S.T.P.

Almæ Matri CANTABRIGIÆ,

Nec non

Alteri apud OXONIENSES

CELEBERRIMÆ ACADEMIÆ

Omnia precatur

Salutis Præsidia,

Dignitatis Ornamenta,

Hanc etiam qualemcunque

PRO LITERIS HUMANIORIBUS

Et Scientiis Apologiam D. D. D.

Apud alteram Alumnus

In utrâque S. T. P.

Utriusque Amantissimus,

PAWLET St. JOHN.

Almæ Matri CANTABRIGIÆ,

Nec non

Alteri apud OXONIENSES

CELEBERRIMÆ Academiæ

Omnia precatur

Salutis Præsidia,

Dignitatis Ornamenta,

Hanc etiam qualemcunque

PRO LITERIS HUMANIORIBUS

Et Scientiis Apologiam D. D. D.

Apud alteram Alumnus

In utraque S. T. P.

Utriusque Amantissimus,

PAWLET St. JOHN.

In 2 Ep. B. *Petri* Apost. Cap. 1. Com. 5.
sic scriptum legimus.

Καὶ αὐτὸ τοῦτο δὲ σπουδὴν πᾶσαν παρεισενέγκαντες, ἐπιχορηγήσατε ἐν τῇ πίστει ὑμῶν τὴν ἀρετὴν, ἐν δὲ τῇ ἀρετῇ τὴν γνῶσιν.

Vos autem curam omnem subinferentes, ministrate in Fide vestrâ Virtutem, in Virtute autem Scientiam. ----

SImon Petrus *Servus Jesu Christi* (sic enim in primo hujus Epistolæ Versiculo Princeps Apostolorum se appellare gaudet) dispersis ubique per *Asiam* Fidelibus Gratiam & Pacem pro more ℣. 1. ℣. 2.

more apprecatus, Gratulatus etiam uniuerſis *coæqualem* ſecum *Fidem* feliciter *ſortitis*, quòd *omnia* ſimul à Deo *ad Vitam & Pietatem pertinentia* accepiſſent, nè *maxima illa* tot *ac pretioſa promiſſa* inaniter effluerent, ſed ut per illa *Diuinæ* potiùs Bonitatis participes, *Naturæ* etiam *conſortes efficerentur*, hortatur in ſequentibus Fidem iſtam ſuam *omni præterea collato ſtudio* pro virili adaugere: Ad hoc cavendum proinde ſedulò nè cœleſtem hanc Gratiam nudam aliis & incomitatam patiantur, ſed ut legitimum ex cæteris Virtutibus chorum ſubminiſtrantes, eo, quo par eſt, Satellitio proſequantur.

℣. 1.

℣. 4.

Επιχορηγήσαλε.

℣. 5, 6, 7. *Vos autem curam omnem ſubinferentes, miniſtrate in Fide veſtrâ Virtutem, in Virtute autem Scientiam, in Scientiâ autem Abſtinentiam, in Abſtinentiâ autem Patientiam, in Patientiâ autem Pietatem, in Pietate autem Amorem Fraternitatis, in Amore autem Fraternitatis Charitatem.*

℣. 1.

℣. 2. Aſpi-

Aſpicite, Auditores, & dum aſpicitis, veneremini Sanctiſſimam hanc Gratiarum omnium Evangelicarum Familiam, à primis ad extrema, à Fide ad Charitatem pulcherrimè procedentem: de quibus ſingulis diſſerere, quoniam neque Tempus patitur, nec inſtitutum poſtulat, ſufficiat hoc unum de omnibus obſervâſſe, Virtutes haſce Theologicas mirâ ſibi invicem cognatione devinciri, & quaſi communi quodam Vinculo inter ſe contineri, multamque, in hâc ſolenni Gratiarum enumeratione, quum curam in delectu, tum in ordine Diligentiam Apoſtolum adhibuiſſe. Sufficiat hoc, inquam, de reliquis admonuiſſe, nobis præſertim ad Scientiam Chriſtianam Chriſtianæ Fidei ſociam & perfectricem diſcutiendam properantibus.

Nobis autem lætandum imprimis eſſe video, quòd in hanc potiſſimùm concionandi materiam, Vobis certè, ACADEMICI, maximè omnium accommodatam,

commodatam, Temporibus, ut meo, necessariam incidimus.

Liceat profectò Vobis de omni aliâ Virtute non immeritò gloriari. Quis enim majorem aut in Fide puritatem, aut in Virtute Fortitudinem? Quis sanctiorem, quàm apud Vos est, quum in omnibus Temperantiam, tum in cultu Pietatem? Quis denique ferventiorem erga Fratres Amorem, erga omnes Charitatem facilè deprehenderit? Verùm ex omnibus Vestris præclarissimis Virtutibus, quæ maximæ & innumerabiles de Vobis prædicantur, nulla profectò Virtus tam domestica Vobis, & familiaris est, quàm Scientia. Hanc nimirum vestram peculiari jure appellare ausim, quòd quum aliis Virtutibus honorem & hospitium, huic vitam & alimentum quotidie suppeditatis.

Sed quod in vestro hoc Conflessu laudare non molestum est, id apud alios profectò multos vix impunè defendimus. Non loquor nunc de stul-

tis & ignaris, qui quod assequi desperant, ideò facilè contemnunt--- Quàm multi sunt ex iis qui se Theologos videri volunt, qui scientiam Religioni non ut inutilem despiciunt, sed ut adversariam criminantur? Quibus turpe didicisse, quibus sapere Antichristus est?

Quid his hominibus faciemus, ACADEMICI? Quo Ludibrio, vel quâ detestatione potiùs tam inanes Fanaticorum calumnias excipiemus?

Sed de his, si Deus voluerit, in sequentibus videbimus; in quibus, quum Humanæ Scientiæ usum & necessitatem paulò fusiùs exposuero, constabit, ut opinor, utrùm illa plus in Religionem detrimenti, an auxilii potiùs & adjumenti importaverit: Quæ quàm fortiter inter se, & quàm amicè prorsus conveniant, ex inimicorum etiam consensu facilè interim intelligitis: Neminem enim arbitror per hos annos aut Fidei Christianæ, aut Ecclesiæ Anglicanæ hostem extitisse, qui non eodem

tempore bellum Vobis pariter apertiſſimum indixerit.

Sed redeamus ad Apoſtolum.

Vos autem curam omnem ſubinferentes, miniſtrate in Fide veſtrâ Virtutem, in Virtute autem Scientiam— q. d. Magnum profectò & ſingulare beneficium à Deo omnium beneficiorum Parente accepiſtis, ſed beneficium, Chriſtiani, non tam collatum in Vos, quàm commiſſum Vobis, nec niſi ſummâ cum diligentiâ à Vobis excolendum.

Nè tam pretioſam *Dei Gratiam in vacuum recipiatis*, in hoc præſertim incumbite, ut cum ipſo cooperemini.

Jac. ii. 17. *Fides* hæc, quam accepiſtis, *ſine operibus mortua eſt; miniſtrate igitur in Fide veſtrâ Virtutem*; ſine Scientiâ nec vigere, nec confirmari, nec enitere poteſt— *Miniſtrate* itaque *in Virtute veſtrâ Scientiam*; nè intereat omninò, nè penitùs evaneſcat, ſemina hæc in fructum, Principia in actum, *Fidem* in *Virtutem* continuò evocate; ut valeat, ut accreſcat, ut non modò in ſalubritate,

lubritate, sed in nitore esse possit, hanc alite legendo, hanc reficite meditando, huic denique accommodate, quicquid ex omni aliâ Disciplinâ hujus vel usui vel ornamento potissimùm inserviet.

Gratulatur itaque Apostolus ille Gentium *Romanis* etiam suis, quòd illos omni non solùm *bonitate*, sed *cognitione* pariter impletos percepisset: & rectè: nam nisi Vis & Lumen cognitionis accessisset, actum esset illicò, non dicam, de perfectione Fidei, sed de Salute ipsâ & incolumitate, quæ, sine hâc, non modò rationem, quâ proficeret, sed nè locum quidem, ubi consisteret, reperire potuisset.

Hanc Ducem si amiserit, evagabitur continuò Fides in Errorem, Pietas in Superstitionem, Zelus & Æmulatio in Furorem illicò prorumpet; ipsa denique, sine hâc, vel in Veritate defendendâ, Virtus & Patientia, temeritas non consilium, pertinacia potiùs quàm constantia, appellabitur.

In hâc itaque comparandâ ut quàm maximè laboraret, videmus hunc *Timotheo* repetitis hortationibus autorem extitisse.

1 Tim. iv. 13, 14, 15. *Dum venio*, inquit, *attende lectioni, exhortationi, Doctrinæ. Noli negligere Gratiam quæ est in te, quæ data est tibi per Prophetiam cum impositione manuum Presbyterii: Hæc meditare, in his esto, ut profectus tuus manifestus sit omnibus.* Urget etiam in secundâ, *propter quam causam moneo, ut resuscites Gratiam Dei, quæ est in te, per Impositionem manuum mearum.*

2 Tim. i. 6.

Quantâ porrò cum diligentiâ divinus hic Magister his ipsis exercitationibus, quas discipulo commendat, seipsum occupaverit, ex *libris* & *membranis* quas *Troade* reliquerat, existimare possumus: Quorum alteris in lectitando, in scribendo alteris quum assiduè uteretur, non modò domesticum in iis Otium consumere, sed in tenui Supellectile periculorum secum omnium, & Itinerum Comites educere consueverat.

2 Tim. iv. 13.

Quòd

Quòd si illi ipsi Apostoli, quibus Fidem & Gratiam infinitâ pæne largitate communicatam accepimus, ad egregias hasce Dotes curam & Industriam, & Studiorum Disciplinam adjungere non dabitârunt; si beatus ipse *Paulus* Librorum Utilitatem *Timotheo* per Literas, usu verò & Exemplo ita omnibus commendavit, ut ab illorum Familiaritate non loci mutatio, non de viâ lassitudo abstrahere potuerit, nobis certè, ACADEMICI, maximâ, quâ possumus, contentione enitendum est, ut quò minùs per singularia Spiritûs Adjumenta perficere possumus, eò majus nobis ex labore & diligentiâ subsidium comparemus. Felices quidem illi! quibus Dotes has in Animo, tanquam fruges in Paradiso, non lentè & paulatim ex minimis accrescere, sed adultas etiam nasci, & veluti de improviso oboriri contigit. Nobis interim, qui surgentis Scientiæ vix Semina ipsa & Incunabula percipimus, aratris, ligonibus, graviori denique culturæ incum-

incumbendum eſt, ſiquid ex his aliquando ad fructum & maturitatem perducere ſtatuimus.

Non tamen in omnibus eadem Cognitio, non eadem Diligentia ab omnibus requiritur: Quid quiſque in hâc parte pro ſe præſtare debeat, vix certum eſt decernere; hoc quiſque cum ſeipſo, ex otio, ex Facultate, ex Munere & Officio faciliùs reputaverit. Satis forſitan pro ſeipſo non nemo in hâc Scientiâ ſe profeciſſe arbitrabitur, ſi docilem, ſi attentum, ſi in iis ad quæ attenderit, ſe prudentem etiam, & intelligentem deprehenderit: Satis fortaſſe ſibi, aliis certè parum. *Duplicem* nimirum ut *Honorem* promeretur, ſic Induſtriam efflagitat, ſi quis non modò id, quod ſibi ſatis ſit, didiciſſe, ſed alios etiam docere, & inſtituere ſuſceperit.

1 Tim. v. 17.

Audiant hæc, & audientes erubeſcant Peſtes Reipublicæ, nequiſſimi, quotquot ſunt, de fæce, de triviis, de infimâ denique Plebeculâ declamatores,

res, qui inermes ad Controversiam, infantes ad prædicandum, illiterati ad Theologiam accedere non verentur; de quorum Insciti& & Garrulitate minori fortasse cum Vehementiâ quereremur, nisi aliorum etiam Periculo insanirent.

Tu autem, O Homo Dei, hæc fuge, hæc aspernare, hæc omni semper Odio & Contumeliâ prosequere, *custodi depositum*, devita Fabulas aniles, *profanas Novitates*, devita Loquacitatem garrulæ istius, & *falsi Nominis Scientiæ, quam quidam promittentes circa Fidem exciderunt.* Vos autem, ACADEMICI, non ita Christum docetis, neque enim *Vos* profectò *ita Christum didicistis.* Quamobrem ut alios potiùs Inertiæ & Insciti&, quàm Vos aut Virtutis aut Industriæ Vestræ pœniteat, sinite, obsecro, concionantem de Vestrâ omni Disciplinâ paulò loqui liberiùs, & divina hæc Scientia, quâ Vos omnibus antecellitis, quàm utilis Ecclesiæ,

1 Tim. vi. 11. ℣. 20. ℣. 21. Eph. iv. 20.

Eccleſiæ, quàm Fidei neceſſaria ſit, in ſequentibus oſtendere.

In tantâ & tam copioſâ concionandi Materiâ, in quâ modus potiùs in dicendo, quàm initium, quærendus eſt, unde priùs exordiar, quàm ab illâ Diſciplinâ, quam Vos ipſi, ACADEMICI, ad omnes alias Scientias Ducem & Anteſignanum præmittere voluiſtis, Linguarum nimirum Uſu & Peritiâ? quæ quantum in Eccleſiam ad Fidem ſuſtentandam Inſtrumenti allatura eſſet, Deus ipſe de Cœlo tum maximè ſignificavit, quum ad eandem propagandam neceſſariam etiam judicaverit.

Act. ii. 3. Linguarum itaque formam Divinus ille Spiritus, eo præſertim Die, uſurpâſſe dicitur, quum Apoſtolorum Inaugurationem manifeſto Numine præſens celebravit. His dotibus initiati, hâc Unctione conſecrati Muneris illi ſui tum obeundi Veniam, tum exequendi Poteſtatem, eodem ſimul tempore & influxu, acceperunt. Hæc Arma Deus Apoſtolis

Apoſtolis ad victoriam proficiſcentibus non fabricari modò, ſed induere dignatus eſt, ex quâ quum integros ſibi uni triumphos reſervaret, nihil in his humani aut laboris aut artificii admiſceri voluit.

Philoſophantium itaque Doctrinam & argutias, Scholarum Subtilitates, Rhetorum eloquentiam pari aliquandiù faſtidio repudiavit: Victis his nimirum, quam in vincendo uti maluit, hanc etiam debellatis conditionem imperavit, ut Victoribus ſervirent.

Non indignum fuit Deo, quoniam nec Hominibus poſſibile, fidem & myſteria divino prorſus modo Apoſtolis communicare; non fidem prædicantes linguis inſtruere, miraculis deducere; non verba loquentibus, ſcribentibus materiam, animos & fortitudinem patientibus ſuppeditare: hæc omnia quum peregiſſet, quum fidem omnibus neceſſariam oculis potiùs quàm auribus, neque incertæ Traditioni, ſed literis ad omnem poſteritatis memoriam expreſ-

sis commisisset, tum demum nec à suâ Sapientiâ, nec Religionis incolumitate alienum judicavit, curam ejus & custodiam humanæ Fidei & industriæ commendare.

Christianis ab hoc tempore Doctoribus incubuit depositum custodire, Scripturis invigilare, commissos sibi Codices non modò ab interitu, sed ab omnibus, in quantum poterant, immutationibus vindicare, ne quid fraudis in Originales, ne quid Erroris in Translatos irreperet, providere.

Maximas à nobis Gratias Antiqui illi Patres, maximam in omni seculo prædicationem merucre, qui, cæteris omnibus omissis, ad hæc potissimùm studia se totos contulerunt. Horum sanctis laboribus jure optimo tribuimus, quòd sacras hasce Paginas tot Versionibus expressas, tot Commentariis illustratas, tot Autoritatibus confirmatas à Majoribus accepimus; horum fidei & diligentiæ, quòd per tot temporum injurias, per tot Hæreticorum circumlatrantium

trantium impetus & petulantiam, illæſæ tandem ad nos & incolumes pervenerint.

Non parum autem ex eo ad Scripturas intelligendas primævis illis Patribus facultatis accedebat, quòd Lingua, quam locuti ſunt, ita iſtorum hominum ac temporum habebatur, ut in quotidiano Sermone pro vulgari uterentur. Ad hanc illi familiaritatem non docti, ſed facti, non inſtituti, ſed imbuti, mirum quanto cum compendio ſe in ſtylum Apoſtolicum penitùs inſinuaverint. Nos interim, quorum Aures à Sermone Apoſtolorum tam longè peregrinantur, quantùm ipſi ab Apoſtolis temporum & regionum varietate disjungimur, hæremus in radicibus, pæne ſeneſcimus in Elementis, & in cortice disjiciendo non mediocrem ætatem & induſtriam conſumimus.

Sed pergendum eſt, ACADEMICI, licèt omnes undique difficultates circumſiſtant. Tam accuratâ in Scripturis percipiendis diligentiâ tutò alii fortaſſe

multi ſe carere patiantur: Liceat aliis, ſi voluerint, in vernaculis Verſionibus, liceat Populo Chriſtiano, quod Judaico ſolenne fuit, in atriis duntaxat exterioribus conſiſtere; nobis verò Sacerdotibus ad interiora perrumpendum eſt, nobis intimi receſſus, abditiſſima myſteriâ, ſcrutanda, aperienda, in lucem proferenda ſunt. Hinc Theſauros ad ornamentum, hinc Clypeos ad præſidium, hinc arma ad controverſiam paratiſſima depromendum eſt.

Sed ut taceam de Scripturis--- Vereor enim, Auditores, nè ingeniis Veſtris diffidere propè videar, qui in re tam manifeſtâ tam multa diſſeruerim--- Quid exiſtimatis, obſecro, de Patrum Autoritate, Decretis Conciliorum, Eccleſiæ conſuetudine, de omni denique antiquitatis memoriâ, quæ ſingula nobis à mortuis non modò reſuſcitanda, ſed in aciem, in pulverem, in quotidianam fere contentionem evocanda ſunt? Jacerent hæc nimirum in tenebris omnia, niſi Linguarum lumen & diſciplina acceſſiſſet. Præ-

Præclarè interim, ut opinor, *Scriba* Mat. xiii. 52.
iſte illiteratus *in Regno Cœli edoctus*, præclarè ad Evangelii prædicationem inſtitutus eſt, qui ex inanibus *Theſauris* nec *nova* nec *vetera proferre* poteſt, antiqui omnis Sermonis expers prorsùs, & ignarus, in domeſtico (ut plerumque fit) pænè etiam peregrinus! Diſcant homines immodeſti, qui facultates ſibi Apoſtolicas arrogare non verentur, ex eo quod in hâc non poſſunt, de reliquis ſibi dotibus aliquantulum diffidere: Viderint utrùm hoc ſit Apoſtolos æmulari, non *aliis*, ſicut illi, *linguis* uti in dicendo, ſed in ſuâ, ad quam nati ſunt, turpiſſimè laborare.

In cæteris profectò Artificiis percipiendis majori homines cum modeſtiâ ſe exercent. Tacet in Geometriâ, Medicinam non audet dare, qui non didicit: In artibus etiam tenuiſſimis diſciplina quædam & exercitatio inſtituitur. Naſcimur unicè ad Theologiam, ad hanc homines, quaſi ſibi ſe non tam *fieri* idoneos, quàm *creari*, viderentur,

rentur, (ignoſcite, Academici, non abutimur vocabulo) nihil ſecum aut materiæ, aut qualitatum præparantium adducere meditantur. Sed majus eſt, mihi credite, & difficilius quiddam Theologia, pluribus item ex artibus & ſtudiis collectum, quàm iſti opinantur: de quibus ſingulis commemorarem, ſi per tempus id liceret, quàm levi accommodatione Chriſtianæ Religioni, & quàm fideliter inſerviant. Sed ut cætera prætereamus — Quid de illâ tandem Philoſophiâ, Dialecticam intelligo, exiſtimatis, Academici, quam rationis humanæ, quâ cætera omnia decernimus, ita Ducem & Magiſtram omnes facilè conſtentur, ut quum homines per illam beſtiis tantùm, & animalibus, per hanc homines hominibus antecellere videantur? Cujus igitur auxilio vel in leviſſimis quæſtionibus tantopere adjuvamur, ut ea homines induſtrii invitî admodùm ſe carere patiantur, hanc nos ad eas veritates adhibere dubitabimus, à quibus

bus non animum modò, ſed nè aſſenſum quidem noſtrum, ſine maximo ſalutis periculo, cohibere poſſumus?

Nobis præſertim, qui viam ad veritatem non ſolùm inveſtigare, ſed aliis oſtendere & monſtrare profitemur, diligentiùs providendum eſt, ut ab omni ipſi errore quàm longiſſimè abhorreamus. Ut aſſentiamur his veritatibus, penitiùs intelligendæ ſunt: ut intelligantur, ut oportet, non parùm interrerit, Vim argumenti percipere, conſequentias deducere, ſimilia comparare, diſcrepantia diſtinguere: Ut alii nos intelligant (hoc enim nos ſuſcepimus) cura omnis adhibenda eſt, ut aptè, ut dilucidè, quod ſentimus, eloquamur; in Methodo nobis, in ordine laborandum eſt, ſine quo nec rerum confuſio, nec verborum perturbatio evitari poteſt. Subſidia nobis ad hæc ex Dialecticorum diſciplinâ potiſſimùm comparanda ſunt, ex quibus totum hoc ediſcimus, Argumenta invenire, inventa diſponere, quid prius, quid ſecun-

ſecundùm, quid in omni concluſione poſtremum ſit, diſcernere; hinc denique non modò ipſi cavere ab erroribus, ſed aliis etiam detegendis Sophiſtarum artificia & fallacias eludere.

Sic inſtructus ad præliandum in arenam ſe projiciat, quiſquis Fidei defenſionem, Eccleſiæ præſidium, bellum ſibi cum infidelibus ſempiternum profitebitur; non ſaltu repentino, ut in fabulis de *Minervâ* eſt, adultus & armatus emicans ad congreſſum, ſed diuturnâ diſciplinâ, & quotidianis proluſionibus ad victoriam exercitatus.

St. Thurlby. Gul. Law. Whiſton.

Tales Vos, ACADEMICI, ut de aliis ſit ſilentium, imberbes illos Juvenes in Aciem & pulverem cum Gloriâ emiſiſtis, quorum alter Hæreſiarcham iſtum in Religione Mathematicum, *Socinum* jam diù mortuum ab inferis revocantem, alter Veterem & plurimarum Palmarum non ignobilem Gladiatorem (nôſtis quem intelligo, ſed religio eſt nominare) Eccleſiam quam gubernat, Autoritatem quam exercet, ſanctiſſimum

mum ſuum ordinem, Veſtrum etiam, ACADEMICI, infami deditione nefariè cauponantem, non veritate magis quàm artificio ſuperavit. Hæc ſunt noſtra Trophæa, noſtra Monumenta, noſtri Triumphi. Multum certè ex hâc victoriâ veritati quam defenderint, multum ingenio etiam ſuo, cujus tantam illis felicitatem ex animo gratulamur, maximam verò partem (novi hominum modeſtiam, ignoſcent hoc ſumentibus) Vobis ipſis, ACADEMICI, his Artibus, huic Diſciplinæ jure optimo tribuimus; ad quorum naturam tam eximiam & illuſtrem niſi Veſtra hæc Doctrina & Confirmatio acceſſiſſet, non illud neſcio quid, quod tantopere admiramur, præclarum & ſingulare in iis extitiſſet.

Et nunc intelligite, Prædicatores, *eruditimini Vos qui* eruditis *Terram:* Nolite exiſtimare in re maximi officii minimam ſubeſſe Vobis deſipiendi Licentiam. *Servite Domino in timore*, Timorem autem Domini *Sapientiæ initium*, non *exitium* opinemini--- cum tre- Pſ. ii. 11. Prov. ix. 10.

more abſtinete à ſtultorum Sacrificiis,
Eccl. v. 1. nec audete in poſterum rude quid aut inconditum in Templo ejus aut Præſentiâ temerariò effutire: Cogitate nihil huc niſi perfectum ingenio, elaboratum induſtriâ afferri oportere ----
Pſ. ii. 12. *Apprehendite diſciplinam, miniſtrate in Fide veſtrâ Scientiam, nè quando iraſcatur Dominus,* & Vos *de viâ* interim *juſtâ* in æternum *pereatis.*

Sed parùm eſt docere; ut moveat, ut perſuadeat prædicator in dicendo, ut animos audientium, in quamcunque volet partem, inflectat, rapiat, impellat, enitendum eſt.

Grave onus & formidandum ſuſtinere ſe meminerit, quiſquis magno in conventu, de rebus maximi momenti, ſe unum, aliis ſilentibus, audiri poſtulaverit. Qui ſi jejunè de promiſſis, ſi frigidè de ſuppliciis, ſi de communi ſalute oſcitanter diſſeruerit, næ ille nos inveniet minùs fortaſſe in audiendo diligentes quàm ſperaverat. Faces, inquam, in dicendo dormientibus admovendæ ſunt: Alios autem ut accendas,

Tibi

Tibi priùs exardeſcendum eſt. In ipsâ etiam vehementiâ (nocebit enim, ſi dedeceat) quid proprium, quid decorum, quid loco, quid materiæ, quid perſonæ uniuſcujuſque aptiſſimè conveniat, nè quid in verbis, aut in geſtu offendamus, providendum eſt.

In hæc vitia ſi incurrimus, Fanaticis ferè omnibus, errore, dicam? an incuriâ, an contemptu potiùs Eloquentiæ familiaria (quotuſquiſque enim eſt ex illis qui aut rerum abſurditate, aut verborum inſolentiâ, aut actionis deformitate non turpiſſimè peccaverit?) odium tantùm & irriſionem in optimo quoque concitabimus, neque animi ſolùm & ingenii, ſed aurium & oculorum judicio repudiabimur.

Sed non licet, ut opinor, (ſic enim aliqui ſuſpicantur) nobis in prædicando eſſe tam diſertis: Negant enim aut ſimplicitati Evangelicæ convenire, fucum, & artificium, & peregrina in eam ornamenta curioſiùs importare, nec ita multùm ſinceritati, audientium benevolentiam non puro Dei verbo, ſed

eruditis quibuſdam dolis, & inſidiantis Eloquentiæ Lenociniis aucupari.

Faciunt iſti perridiculè, qui hæc nobis interdicunt, nec prædicandi Facultatem tam ex rei veritate, quàm ex ſuâ mediocritate ſtultiſſimè metiuntur: Qui ſi Divinam illam in Scripturis eloquentiam primoribus ipſi labris tantummodò attigiſſent, nunquam profectò alios ab eodem hoc ſanctiſſimo in capiendis hominibus artificio deterruiſſent. Quàm multa enim nobis ad imitandum Scriptores Hi Θεόπνευστοι, in omni Eloquentiâ, monumenta reliquerunt? Nihil grande in eloquio, nihil incitatum in oratione, nullum aut in verborum gravitate, aut Sententiarum, ornamentum eſt, quod in his profectò concionatoribus deſideraveris: Nullus denique ex affectibus (tantùm illi à jejunitate, & Stoicâ in *prædicando* indolentiâ abhorruêre) quem non aut voluptate perfundere, aut impetu perfringere, aut aliâ omni ratione ſollicitare laboraverint?

Quis

Quis Hebræo Legiſlatore, ut ab antiquiſſimo incipiam, in omni non modò adminiſtrandæ Reipublicæ, ſed Eloquentiæ gloriâ divinior effloruit; qui vel in ſimplici narratione tantam vim adhibuit, ut Sententiam ejus breviuſculam Paganus etiam Rhetor, quum de ſublimitate diſſereret, præſtantioribus in hoc genere exemplaribus aſcripſerit?

Gen. i. ℣. 3. יהי אור ויהי אור

Long. φῶς ὑψος.

Quis neſcit, ACADEMICI, quàm arduus in deſcriptionibus, in dolore quàm non humilis, *Jobus* ille in Hiſtoriâ ſe legentibus obtulerit? Qui, ſive hominem pænè plus quàm hominis eſt, perferentem, ſive Deum digna Deo pronunciantem induxerit, in utrâque Perſonâ ſic feliciter elaboravit, ut dubium ſit, majorem ex alterâ Miſericordiam, an Admirationem ex alterâ in audientibus excitaverit?

Quis tam rudis in Poëticâ, ut *Davidem* in canendo æmulari ſe ſperaverit? Quem dum legimus, aut audimus, quâ ſuavitate perfundimur? Quàm variis in omnem partem affectibus exercemur?

Ut,

Ut, ad libitum incantantis, ad gaudium, ad mœrorem, & quàm facilè incendimur!

Quum verò ad Deum & Parentem, Deum Regi ſuo *Davidi* in omni fortunâ tam ſingulariter conſulentem, *cornu ſalutis*, victoriæ largitorem, *firmamentum* in ſecundis, *perfugium* in adverſis, divinus hic Propheta in ſecreto ſe recipere, illic animæ præ ardore gemiſcentis deſideria, ſitientis anhelitus effundere meditatur, ſpirat adhuc amor, vivunt etiam nunc Sanctiſſimi calores, quos numeris & fidibus committere conſueverat.

Tempus me deficeret, ſi Prophetarum Eloquentiam diſparem illam inter ſe, ſed in ſuo quamque genere perfectiſſimam exponerem: Ut *Iſaias* in ſublimi, *Jeremias* in pathetico, in terribili *Ezechiel* facilè omnes ſuperaverit.

Ut ad Apoſtolos deveniamus---- Quid de Filiis *Zebedæi* judicatis, ACADEMICI, quos ex ſingulari appellatione intonuiſſe magis in prædicando quàm dixiſſe intelligimus?

Boanerges, q.e. Filii Tonitrui. Marc. iii. 17.

Quas

Quas faces in dicendo Apostolus ille Gentium, quæ fulmina non adhibuit? Quem tantam in vinculis libertatem, & spiritum in concionando retinuisse legimus, ut judicibus etiam suis, *Romano* tremorem, *Judæo* Christianæ pænè Fidei reverentiam incusserit. Act. xxiv. 25. xxvi. 28.

Sed *audite Cœli*, in Terrâ sit silentium: Deum tandem audiamus non per Prophetas, aut Apostolos, sed per Filium Unigenitum, Deum-ipsum-Hominem, cum hominibus colloquentem. *Nunquam homo locutus est sicut hic homo*, Ministri etiam *Pharisæorum* ausi sunt confiteri, capti ipsi à prædicante, quem apprehensuri supervenerant. Jo. vii. 46.

Quid enim, ACADEMICI, nonne *verba quæ locutus* est, *Spiritus & Vita sunt?* Jo. vi. 63.

In divinis ejus Parabolis, quibus assiduè utebatur, sed quæ ad speciem tantùm veritatis adumbratæ sunt, quàm fideliter mores nostros in alienis Personis expressos intuemur? Quàm paternam nobis in iis divinæ in peccatores Misericordiæ imaginem, quos triumphos pœnitentiæ, quàm varios mortu- L. xv. L. xvi.

orum

orum vel ad ſpem, vel ad terrorem exitus propoſuit? Quæ omnia ab Autore tam vivis in pingendo coloribus animantur, ut nobis eadem legentibus Cœlum ipſum ſe aperire, ardere etiam inferi, ſingula denique vel minutiſſima non narrari in Hiſtoriâ, ſed oculis pænè noſtris ſe ſubjicere videantur.

Quæret quiſpiam à me: Quid? Illi ipſi Scriptores, quorum eloquentia Sacris literis prodita eſt, iſtâne doctrinâ, quam tu laudibus effers, eruditi fuerunt? Injurioſum eſſet hoc de Chriſto ipſo ſuſpicari: Difficile, ut opinor, de omnibus aliis confirmare; ſed de quibuſdam eorum, nec iis minimis in dicendo, non incertum eſt, quid reſpondeam; quos quanquam homines excellenti per ſeipſos ingenio extitiſſe, divino etiam Spiritu afflatos confitemur, non omnino tamen ab humanioribus hiſce ſtudiis abhorruiſſe accepimus.

Ex hoc eſſe hunc numero, quem paulò antea laudavimus, divinum hominem *Moſen*, non minùs *verbis* quàm *operibus* in Hebræorum olim Republicâ poten-

potentiſſimum, qui quum à *Filiâ Pharaonis*, in aulâ Patris regiâ, liberaliùs aleretur, *in omni Ægyptiorum Sapientiâ eruditus eſt.*

Quid Scholas Prophetarum, & Collegia commemorem? Vobis certè non ignota, ab his veſtris, ACADEMICI, non ità multùm abludentia, quorum alumni, quum ad ſanctiorem præcipuè literaturam fingerentur, levioribus tamen ſtudiis, Muſicæ nempe & Poëſi, vacâſſe intelligimus. 2 Reg. ii. 1 Sam. x. 5.

His artium rudimentis futuri olim Prophetæ ad uberiores Spiritûs influxus alebantur. Parciùs Ille, ut opinor, Prophetas ab aratro, rarò homines ab ovilibus, nec niſi ad extraordinarias legationes abripere conſueverat: Ad hæc munera deſignatis ut maximam apud alios admirationem conciliaret, & (qui regibus fere mos eſt) inſtrumenta ad apparatum de ſuo omnia diſpenſaret, humanam in his doctrinam antevertere aliquando, quàm reperire, maluit. Sed rarò admodum hoc, & ad majus veluti prodigium extitiſſe dicimus. Non ama-

Mat. xii. 43, 44. bat Dei Spiritus, tanquam *immundus* in Parabolâ, *loca arida* inviſere, jejuna frequentare; in domum Ille, ſiquam fortè offendiſſet, artibus *mundatam*, ſcientiis exornatam plerumque ſe recipere: His ſedibus, hâc ſupellectile divinus ille Hoſpes potiſſimùm delectabatur, quaſi hominum ingeniis tum demum ad res divinas aptioribus uteretur, ſi in humanis diſciplinis aliquandiù præluſiſſent.

Ex eâdem diſciplinâ, ceſſante tum Prophetiâ, Apoſtolus ipſe Gentium ad prædicandum evocatus eſt, qui quum ad pedes *Gamalielis* in lege & traditionibus accuratiùs enutritus eſt, non modò in Philoſophiâ, ſed Philologicis Scriptoribus tam vehementer ſe exercuit, ut

Tit. i. 12. verſus quoſdam ex Poetis, *Epimenide* & *Menandro* in Epiſtolis recitaverit.

1 Cor. xv. 33. Ad *Moſen* itaque & Prophetas, ad *Chriſtum* & Apoſtolos continuò ſe recipiat, quiſquis optimum illud in prædicando attingere voluerit. In his veniam eloquentiæ, nec veniam modò, ſed exempla in omni genere perfectiſſima reperiat. Quid autem ſit eloquen-

tia,

tia, quis ſanctarum imaginum uſus & applicatio, ex Rhetoricâ ediſcendum eſt. Non enim nobis artem dicendi Scriptura, ſed exempla propoſuit, quorum idoneam tractationem niſi ex regulis & præceptis depromptam huc attulimus, quid in unoquoque admirandum ſit, non dico, imitari, ſed vel percipere impoſſibile eſt. Pravè autem imitari quod nondum ſatis intellexeris, næ illa deformatio potiùs Scripturæ, quàm imitatio appellanda eſt; dum Sancti Spiritûs imagines immani abuſione ad levia, ad aliena, ad contraria traducimus, &, quod ultimæ eſt Blaſphemiæ, extemporaneas effuſiones, & delirantium inſomnia Divinæ Sapientiæ lubentiſſimè affingimus.

Tanto apparatu, tot inſtrumentis undique conquiſitis & comportatis, tantâ denique, nè veſtræ Vos pœniteat, ACADEMICI, diligentiâ & induſtriâ opus eſt ad Theologiam: Nulla res profectò major, aut difficilior eſt, aut quæ plura Doctrinæ adjumenta deſideret: Ut Deus pænè inter homines videri mihi

ſoleat, quiſquis hanc non modò ſeipſum ſatìs intelligere, ſed ita augere in dicendo, & illuſtrare profitebitur, ut alios etiam docere & permovere poſſit.

Itanè verò? dicet aliquis: Tantamne, quantam Tu affirmas, *Fidei* cum *Scientiâ* neceſſitudinem intercedere, ut ſine alterius adjumento vix in tuto conſiſtere, & conſervari poſſit? Nunquamne Fidei Philoſophiam non modò non favere, ſed graviſſimè aliquando adverſari intelligimus? Quot Hæreſes in Religionem, quot diſſidia in Eccleſiam ab iſtius diſciplinæ hominibus importata ſunt? Annon aliqui in omni ſeculo, viri docti & literati, Religionem Chriſtianam aut ab initio oppugnârunt, aut ab eâdem etiam ſuſceptâ turpiſſimè defecerunt? Pudet hæc, Auditores, confitentibus etiam nobis ab inimicis exprobrari: Eſt hoc profectò funeſtum Patriæ, luctuoſum Eccleſiæ, bonis omnibus acerbum: Sed, quod nemini diſſimulare poſſumus, liceat omnibus confiteri. Non nemo eſt è Vobis (O ſcelus! O portentum! ſine gemitu hoc dici non poteſt!)

poteſt!) E Vobis ipſis, ACADEMICI, apertè dicam quod ſentio, non nemo hoſtis eſt: Palam & impunè ab iis hodie laceſſimur, à quibus ſperandum potiùs fuit, ut injuſſi nos defenderent, ab iis, qui in his nimirum caſtris didicêre, quid poſtea in contrariis agerent. Sed abſit à nobis, procul abſit, ACADEMICI, inſanientem hanc Hæreticorum Sapientiam divino Philoſophiæ nomine honeſtare; pertinaciam illud nos, novitatis libidinem, arrogantiam, quæ quum in omni diſciplinâ, tum præſertim in religiosâ ad errorem eſt proclivior, quidvis denique potiùs quàm *Scientiam* appellemus.

Hanc quiſquis profitebitur, *miniſtret cum Apoſtolo in Scientiâ ſuâ Temperantiam:* Det Scientiæ quæ Scientiæ ſunt, det Fidei quæ ſunt Fidei: Deſinat in poſterum divinas veritates humanæ rationi familiariter ſubjicere, deſinat Cœlum ipſum petere ſtultitiâ, mundum ſibi, & Deum ad libitum fabricari: Deſinat, quod ridiculum eſt, demonſtrationem in Hiſtoriâ, Mathematicam pro

Morali

Morali certitudine depoſcere, teſtium ampliſſimorum fidem & religionem, quæ depravari nullo modo poteſt, repudiare, ad ea, quæ habemus, in diſputando nihil dicere, alia, quæ res non patitur, argumenta deſiderare: Diſcat etiam, quod ejuſdem, de quâ loquimur, temperantiæ eſt, ingenio ipſe ſuo aliquantulùm diffidere: Diſcat aliquid privatis aliorum opinionibus, multum publico Eccleſiæ judicio tribuere; eam denique pertinaciam ex animo deponere, quâ, ſic aliqui confirmantur, ut de fide priùs quàm ſententiâ ſe moveri patiantur.

Vobis interim, ACADEMICI, perverſitatem etiam humanam, & hæreticorum fraudes ex animo gratulamur, quæ niſi ſæpiùs extitiſſent, tot præclaras vincendi occaſiones amiſiſſetis. Sed facetiùs, mihi credite, ab iſtis Nebulonibus illùdimur quàm putamus. Non illi literas Religioni ut inutiles deſpiciunt, ut inimicas adverſantur, non periculum hinc Eccleſiæ, ſed præſidium ſuſpicantur.

Quòd

Quòd si Fidei Scientia revera non prodesset, næ Vobis hanc injuriam facilè homines ignoscerent: Si leviter Academiæ, si mediocriter Ecclesiæ Utilitatibus inserviret, pauciores profectò multos, hos certè minùs infensos Vobis adversarios haberetis. Oderunt isti vestram diligentiam, acumen reformidant; desperant, Vobis incolumibus, se id commodè perfecturos quod jamdiù machinantur, qui dum fideli custodiâ Palladium nostrum defenditis, de communi salute non vehementer laborabimus.

Sin fatalem hanc imaginem (quod omen à nobis Deus feliciter avertat) si sanctissimum hoc Ingenii, humanitatis, politioris denique scientiæ simulachrum, de Cœlo ad Vos delapsum, Vobis à Deo ipso commendatum, Academici, vis hostium expugnaverit, si dolus surripuerit, si dementia violaverit, cujus opem implorabimus? Unde, aut quo auxilio tam immani hominum Barbariæ resistemus?

Hoc,

Hoc, Academici, propugnaculum illo, illo tempore potiſſimùm deſideravimus, quum ſeditio in civitate, furor in Eccleſiâ, in templis vaſtitas, & rapina dominabatur.

Matt. xiii. 25. Hâc nocte intempeſtâ, per tenebras & ſilentium, dormientibus Scientiis, his luminibus extinctis, *venit homo inimicus*, & in *tritico zizania* futuræ calamitatis ſemina, propagavit.

Hinc monſtra in Eccleſiâ, varii nominis & figuræ, majoribus infeſta, poſteris adhuc debellanda, deformi partu, immania prodierunt.

Horum impetum, & invidiam ne depoſitâ induſtriâ, nè Virtute relictâ placare meditemini. Cum his, Academici, immortale Vobis bellum ſuſceptum intelligite, copias omnes contra hæc educite, inſtruite, cum his ſempiternum denique Vobis in confligendo laborem, unicam in Victoriâ ſalutem proponite.

BRITISH MUSEUM 6 NO 73

FINIS.